

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Arborem scientiae boni et mali, protoplastis interdictam ex Gen. II,17**

**Mayer, Johann Friedrich  
Ziegra, Georg David**

**Vitembergae, 1718**

§. 16.

[urn:nbn:de:bsz:31-130464](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130464)

monstrare, quam grave peccatum fuerit, comedere de hac arbore, egerunt de eo jam Magnif. Dn. D. Præses, Patronus atque Præceptor meus omni observantiæ cultu æternum venerandus, in *Disp. de Adami Penitentia*, B. Gesnerus in *cap. III. Genes. quasi. 10.* & B. Gerhardus *Disp. Isag. XXIII. cap. 4.* &c. Conferri etiam hic possunt notatu dignissima ea, quæ Hic Tom. 3. *Loc. Th. de Lege Dei §. 16. 24.* solide & erudite adducit de *decem præceptorum vestigiis*, adeoque de praxi Legis Moralis antè Mosen in *Genesis* fundata.

§. 16. Qualis vero vel cuius speciei hæc arbor fuerit, quæ sunt hic nonnulli. Mahometani in *Alkorano suo* tradunt, fructum illum, in quo prævaricati sunt Protoplasti, non arboris cujusdam, sed *triticum* fuisse *septem spicarum*, quarum *unam* rapuerit Adam, *granorum quinque*, de quibus *duo* comederit ipse, *duo* dederit Evæ, *quintum* vero secum detulerit. Quod delirium recitasse est refutasse. Fuisse enim hoc lignum scientiæ boni & mali ex genere arborum, certum est. Nam *prorsus*, erudite ait Augustinus de *Gen. ad lit. Lib. 8. cap. 6. erat visibile ac corporale sicut arbores cætera*. Quod ergo lignum esset non est dubitandum: Sed cur hoc nomen accepit, requirendum. Mibi autem etiam atque etiam consideranti, dici non potest, quantum placeat illa sententia, non fuisse illam arborem cibo noxiam, neque enim qui fecerat omnia bona valde in *Paradiso* instituerat aliquid mali: sed malum fuisse homini transgressionem præcepti. Arbor itaque illa non erat mala. Produxit enim *יהוה* *אלהים* omnium rerum Creator, de humo *למאכל* *אדם* *והנה* *עץ* *החיים* *בְּתוֹךְ הַגֵּן וְעַץ הָרֵעַת שׁוֹב וְרַע:* *omne lignum, pulchrum visu & ad vescendum suave. Lignum etiam vita in medio Paradisi, lignumque scientiæ boni & mali, cap. II. v. 9.* (Conf. cap. I. v. 11.) *וַיִּרְא אֱלֹהִים אֲחַת כָּל אֲשֶׁר עָשָׂה וְהִנֵּה שׁוֹב* (Conf. cap. I. v. 11.) *מֵאֵר* *Et vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona, cap. I. 31.*

§. 17. Theodoretus, *Quasi. 28. in Gen. p. 9.* statuit, fuisse *Ficum*, (quod & R. Moses Bar Cepha, Procopius, Isidorus Pelusiotæ, Gennadius, Hugo de S. Victore, docente Magnif. Dn. D. Calovio & B. Gerardo, *Comm. in h. l. volunt*.) eandem videlicet, ex  
qua